

B. M. II, 320.
h. 62, 19.

(X187 7360)



DISCURSUS POLITICUS

De

JURE SYLVÆ
ET VENATIONIS,

Quem

In Almâ VVittebergæ Academiâ

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS ERNESTI *Herings* /

COLLEG. PHILOSOPH. ADJUNCTI

Publicè respondendo
defendet

GODOFREDUS FRIDERICUS *Reuter* /
Dresdâ-Misnicus.

In Auditorio Majori Hor. consv.

Die X. Junii.

A. Æ. V. M. DC. LXV.



E Chalcographæo MATTHÆI HENCKELII.



33.



372

DISCURSUS POLITICUS

De

JURIS SYLLABUS ET VENATIONIS

Summa

In Nova Universitate Academiae

SUB PRÆSIDI

JOHANNIS ERNESTI

COLLEGI PHILOSOPH. ADJUNCTI

Publice respondens

de

GODOFREDUS ERNESTUS

Præses

In Auditorio Majori

Dr. X. Junii

A. M. D. C. C. L. X. V.

Summa Juris Politici

Et Chronographia

Summa

Summa

Summa





I. N. SS. T.

§. I.



Divinissima omninò res est summa in Republicâ potestas, inprimis, si originem ejus, à quibus initiis profecta primitus, & hodiè quoque deducatur, accuratius excutias. Non enim ad ambitiosam violentiam cum *Petro Pertrando* apud *Chassaneum in Catal. glor. Mund. p. V. Consid. 1.* & cum *Bodino l. 1. de Republ. C. VI. p. 73.* aliisque, qui securius philosophantur, recurrendum & existimandum est, fieri haut potuisse, quin sævâ violentiâ armorum sub jugum servitutis missi fuerint liberi ante & sui juris mortales; neque putandum est, ac si per quendam Naturæ ordinem exstiterint imperia, uti *Aristoteles l. 1. Polit. c. 2.* vid. *Adam. Contzen. V. Polit. c. VIII. §. 5.* asseruit; neque cum *Marco Zuerio Boxbornio l. 1. Instit. Polit. c. 2. §. 2. p. 2. & 3.* triplex imperiorum fons investigandus est, vel cum *Gvilielmo Barclajo l. 2. contra Monarchom. p. 277.* partim ad jus naturale, partim ad jus gentium confugiendum, neque cum *Hugone Grotio l. 1. de Jur. belli ac pac. c. IV. §. VII. p. 87.* nuda necessitas ac indigentia tanqvàm caussa Majestatis, asserenda est, multò minùs cum illis faciat quis, qui, sensuum magis, quàm rationis arbitrio dum utuntur, ab hominibus derivant ortum imperiorum, ita tamen, ut hominem sibi quid comparare posse inficietur, benè tamen alios, habentes jam potestatem summam, sive totus populus seu pars ejus potior contulerit, sive Majestas in mutatione Reipublicæ translata, aut à retinente Monarchâ concessa fuerit Vasallo, hîc principaliter operari dicant: Sed altiùs evendendus animus est, & omnipotens potiùs hîc venerandus unicè Deus est, quando de origine Majestatis in se spectatæ, quatenus à modo habendi diversa est, cogitationes quis suscipit. Tantæ



nimirum dignationis est summum illud inter homines imperium, ut non nisi summam agnoscat causam. Adspice, quæso, quot opuliones & aratro imminentes agricolæ ab ipso aratro & stiva, ab ergastulis & sterquilinio subito in Regem assumpti fuerint. Perpende tecum, quantâ autoritate, quantoque splendore à Deo circumdati, in præsentissimis periculis servati, nec tamen adeò humanâ ope adjuti Reges quàm plurimi sint. Evolve, quàm sæpè ingenium Principis pacificum vel bellicosum nimis pro conditione vicini temperet Deus. Excute, quæso, qui veri studiosus es, tyrannorum excidia & subditorum effrenem quandoque licentiam castigatam à Tyrannis, & facilè nobiscum in assignandâ Majestatis causa consenties, de quâ Christiano dubitare meritò religio sit, quùm cœlestis veritatis oracula, sine involucris, disertis & conceptis verbis eandem inculcent prolixissimè. Verissimum hinc illud est *Frider. I. Magnanimi Imperatoris*, quod apud *Güntherum Ligur. VI. v. 609*, protulit effatum:

*Excessere modum magnorum muner a Regum;
Si tantum cuiquam jus in sua regna dederunt.
Sed neque tanta fuit largitio, nec dare quisquam,
Quo caret ipse, potest: hujus collatio regni
Auctorem sortita Deum, contingere nulli
Jure potest hominum: Collator muneris hujus
Est Deus: hoc summis regnum confertur ab astris.*

Hoc enunciatum rationi quoque adeò congruum est, ut ipsos gentiles homines de sua certitudine dubios vix reliquerit. *Homerus II. Iliad.* ad descriptionem Regis, id pertinere arbitratus est, quem ita delineat, ὡς ἔδωκε πρόνυ παῖς ἀγκυλομήτεω σκῆπτρον. *Cui dedit filius Sagacis Saturni sceptrum.* Ideò passim à Deo nutriti & educati, διοτρεφεῖς, audiunt Reges. Quò tendit *M. Terentii Equitis Romani Oratio* & de Origine potestatis Tiberianæ iudicium apud *Tacitum VI. Annal. p. m. 178.* *Tibi summum rerum iudicium Dii dedere, nobis obsequii gloria relicta est.* De Tito hoc habet *Sveton. c. IX.* *Duos patricii generis Convictos in affectatione imperii, nihil amplius, quàm ut desisterent, monuit, dicens: Principa-*

temfato dari. Plinius in Panegy. Traj. Principem dat Deus, qui erga hominum genus vice sua fungatur.

§. II. Quo divinior autem res est Majestas, tantò sanctior ab omnibus haberi meritò debet. Hanc venerationem ut ille etiam asserat, qui in dignoscendis & dijudicandis rebus occupatur Politicis, quantum in ipso quidem est, justum & quam maximè conveniens existimamus, quod tùm demum fieri posse facilimo intelligimus negotio, quando Politicus non Majestatem solum, sed & ea, quæ illi indivulso cohærent nexu, ritè explicat, simulqve ab omni malevolorum interpretatione, omni conatu, vendicat probè. Hoc munus sibi datum esse putârunt celeberrimi Viri, unde egregia de Majestate ejusqve juribus, quæ vocantur, in publicum prostant scripta, quæ doctrinam istam tradunt uberrimè, in commodum eorum, qui studio Politico curam impendunt. Hæc & nos, pro ingenii ratione, consulimus, quumqve non omnia simul & semel exponi queant, in præsentiarum quædam in **JUS MAJESTATICUM**, quod **FORESTI & VENATIONIS** nominare consueverunt, meditati sumus, & de eo publicè, Numine prosperante, sententias, liberi exercitii gratiâ, conferre constituimus. Quemadmodum nunc, ex omnium consensu, firmum & ratum esse censemus, Majestatem, unâ cum juribus Majestatis, quatenus in abstractione considerantur, ad Politicam, jure optimo, pertinere doctrinam, ita neminem fore nobis promittimus, qui Jus Majesticum, quod Politicè pertractandum sumus, nostris ausibus invidabit, præprimis, quum ex perlectione nostræ dissertationis cuivis appareat, nos, ab omni *πολυπραγμοσύνη* alienissimos, falcem in alienam messem ne utiqvàm mittere, sed intra limites, à Philosophiâ humaniori determinatos, nos continere. Hæc præfati rei penitralia, bono cum Deo, ingredimur.

§. III. DE JURE SYLVÆ & VENATIONIS nos disputuros esse, tam ex inscriptione dissertationis, quàm ex iis, quæ in præcedenti §. monuimus, nemini obscurum esse potest. Dum verò hoc paulo ulterius deducere animus est, ab initio statim quædam præmonenda esse censemus, ne, ignoratis iis, quoad illa, quæ subjectum nostrum concernunt, nimium implicemur. Observatum ergò volumus, vocabulum *juris* hîc loci *potestatem* ali-

A 3

quam



quam in suo ordine summam & facultatem imperatricem seu ἐξουσίαν
 ἢ ὡς ἂν quādam ὑπερέχουσαν denotare, quod omninò notandum est.
 Nam, qui hoc in nostro foro jus aliter conciperet, vocabuli sono
 in moralem, legum & Jurisdoctrinam abreptus, vehementer hal-
 lucinaretur, & diversissimas res indignè admodum misceret. Jus
 ergò majestatis perpetuò nobis potestatem aliquam summi im-
 perii notat. An verò hoc, quod tractamus, jus vel ad majora vel
 ad minora, quæ Majestati competunt jura, transcribendum sit?
 non opus erit, ut in illâ quæstione determinandâ multum labo-
 remus. Quâ facilitate enim illa affertur distinctio, eâ quoque
 repudiatur, præprimis, si in eo accipiatur sensu, quo à *Prætorio*
Polit. part. 2. c. 1. qv. 6. arripi consuevit, ut nimirum majora dicantur
 jura, quæ Majestati personali propriè competunt, nec inferiori
 magistratui possunt communicari; minora, quæ huic commu-
 nicari queunt. Majestas sanè realis & personalis, quam diver-
 sam invicem facit *Prætorius* cum suis affectis, ita comparata est,
 ut penitus consideranti minimè se probatam reddat, quod plu-
 ribus hîc ostendere instituti nostri non fert ratio. *Conf. Excellentiss.*
& Pl. Rever. Dn. D. Wendler. Patron. noster æstimatiss. in Philos.
Præct. l. 2. sect. 2. qv. 1. Hoc saltem annotasse sufficiat, omnia Ma-
 jestatis jura, quæcunque illa sint, essentielles Majestatis audire
 partes, ideoque, illæ sã & integrâ manente penes communicantem
 & transferentem Majestate, in alios se transferri iisdemq; commu-
 nicari haut pati, quùm, unâ parte essentiali sublatâ, nequeat esse
 salva totius essentia, quæ tamen omnia non tam rigorosè, sed
 paulò laxius accipere & intelligere velis. Non enim aliter pos-
 sumus, quin ei accedamus sententiæ, quam Clarissimus quidam
 Vir suam fecit & hisce exposuit verbis: *Quamvis subinde par-*
tes vocentur Majestatis, id tamen ideò haut contingit, quasi Ma-
jestas aliquod totum essentiale, aut quantitativum sit, cujus distincta
membra & invicem conjuncta & conglutinata partes reperiantur:
sed potius ut distinctius saltem caperemus diversas operationes, quæ
ab una essentiâ Majestatis procedunt. Hæc enim civilis potestas sim-
plicissimam naturam habet & longissimè remotam à tam crassa com-
positione, ut in distinctas & separatas invicem portiones scindi queat.
Indissolubile suâ natura imperium & divisionis nescius contextus:

nos mentali operâ unam eandemque rem, propter variam efficaciam aliter atque aliter concipimus & delineamus. Plures virtutes eminenti compendio *Majestas* complectitur: quas ubi in plura subjecta diffundit, alia sortiuntur nomina, cum tamen eandem ipsissimam facultatem designent. Præterea, quum vocabulum *Venationis* prolixiori subjaceat æquivocationi, adeò, ut vel oppressiva vel adulatoria vel arenaria vel saltuosa sit venatio, quæ posterior tam in genere quamvis animalium insectationem, seu in terra, seu in aere fuerit reperta, quam in specie occupationem ferarum terrestrium indicat, & κατ' ἐξοχήν venatio dicitur, brevibus dicere juvat, nos saltuosam eamque in specie sic nuncupatam indigitare venationem, quando jam de *Jure Sylvæ aut Foresti* (hæc nobis ἰσοδυναμῶντα sunt) disquirimus, ubi de voce foresti hoc insuper notamus, eandem in legibus Longobardorum & historiis posterioris ævi poni pro sylvâ, quia foris est. Dicitur & aliàs foresta, forestis, annotante *Martin in Lexic.* Coniunguntur autem *Forestum & Venatio* à nobis eò rectius, quò arctiorem secum invicem habent cognationem.

§. IV. Ordo nunc efflagitat, ut *essentiam Juris nostri Majestatici* exponamus, eoque dicamus, quidnam in esse suo involvat *Jus Foresti & Venationis*. Hoc ut expediamus, liceat nobis talem adornare descriptionem: *Jus Foresti & Venationis est dominium Principis, seu personæ Majestatem habentis, quo in suo territorio, de lignis innascentibus Sylvæ & feris capiendis, nec non iis, quæ huc spectant, pro lubitu liberèque disponere & ordinare potest.* Circa hanc descriptionem, ut ea ritè intelligatur, notandus est cum *conceptus contrahibilis, tum conceptus contrahens*. Ille prioribus indigitatur verbis, quibus dicitur, quòd sit *dominium Principis seu Personæ Majestatem habentis*. *Dominium* nempe & quidem, quatenus restrictum est ad eum, cui *Majestas* competit, *conceptum* contrahibilem absolvit, dum generis loco constituitur, quod rectissimè fieri, penitus persuasi sumus. Nam si illud, quod latius definito est & tamen suam essentiam ei communicat, generis vices rectè subit, facile constabit, & nostrum, quod posuimus, legitimum esse genus. Latius quippe est, nec cum definito adæquatè reciprocat, quis enim negaret, plura esse *Dominia* hoc jure *Foresti & Venatio-*

nationis, suamque essentiam eidem definito communicat, quod posterius ut luculentum oppidò evadat, dicturi sumus, quid Dominium sit: *Dominium est potestas de re corporali propria disponendi*, quo ipso, quando *corporalis res* subicitur dominio, imperio contradistinguitur, quod in personam subditam, quam jubendo obligat, ad obsequendum exercetur. *Imperii scilicet objectum est persona, natura intelligens*, ut alii loquuntur, quæ jussum exaudit, capit, obligatur, obtemperat; *Dominii verò subjectum est res inanimis aut bruta* regiminis, quod in eam est, nullum sensum habens cum rectâ ratione conjunctum, unde nec jussum percipere eidemque obsequi valet, cui accedit *proprietas ipsiusque Domini dispositio*. Quæ si rectè attendantur & juri nostro applicentur, dubium vix erit, quò minùs dominium de illo genericè prædicetur. Nec est, quòd quis excipiat, *Foresta & Venationes non esse propria principis bona*. Omnimodò namque propria principis bona sunt, quæ ex universis Reipublicæ bonis sibi vindicat & à bonis privatorum segregat. Non refert, quòd publica sint bona, quùm talia sint atque vocentur, non ac si ab omnibus communiter possideantur, vel omnibus promiscuè usurpanda publicè prostent, sed quia publicè imperanti personæ ejusque ærario cedunt. Nec quæ publica sunt, communia esse dicas, si accuratiùs rem tecum perpendas, utut nonnunquam publicæ res accipiantur etiam pro communibus. *Conf. Celeb. Arnif. Op. Polit. tom. 2. l. 3. c. 3. p. m. 360.* Restrigitur autem hîc loci dominium ad principem seu personam Majestatem habentem, ut mens nostra appareat, quicquid demum alii dicant, *Jus Foresti & Venationis*, ad Regalia, quæ vocant, sive jura Majestatis pertinere, quæ nostra sententia, ut alia taceamus momenta, quæ in applicatione ad hanc vel illam civitatem militant, vel ex eo veritatem sibi conciliare poterit, quòd Majestas sit potestas in civitate ubique. Quùm igitur Majestas per totam se diffundat civitatem & in eâ nihil relinquat, quod non sub jugum vel imperii vel dominii redigat, & circa quod ipsa non ordinare & pro arbitrio disponere valeat, manifestum est, sylvas quoque & feras, atque quoad has arbitrariam dispositionem ad eandem majestatem meritò spectare, adeoque inter jura Majestatis

329
tis referri rectissimè. Sed quo jure, quove titulo, illa, cum prohibitione certâ conjuncta, Principis procedat dispositio, paulò post pluribus edocebimus.

§. V. Haëtenus *conceptus contrahibilis*, succedit jamjam *conceptus ille*, qui *jus nostrum ad certam quasi contrahit speciem*. Hic *conceptus contrahens* potissimùm desumptus est ab *objecto*, ubi dicimus, quòd *Princeps in suo territorio, de lignis Sylvaë innascentibus & feris capiendis nec non iis, quæ huc spectant, liberè disponere queat*. *Objectum* igitur juris hujus sunt *ligna Sylvis innascentia, fera capienda & omnia alia, quæ ipsis affinia sunt*. Quemadmodùm Princeps Majestatem suam exserit in spatium illud superficiæ, quod à Principe quidem separatim non possidetur, nemini tamen privatorum assignatum, sed omnium transeuntium usui dictum est, quod viam publicam appellamus, & intuitu potestatis hujus in hanc viam promulget illa edicta & interdicta, quæ hunc concernunt locum, & animadvertit quoque in omnes, qui contra privilegia viæ publicæ aliquid commiserunt, unde fundamentum suum habent vestigalia; ita etiam Princeps potestate, quâ pollet, summâ, circa ligna, quæ in sylvis proveniunt, & circa feras, quæ natale sibi solum sylvas potissimùm vendicant, ordinat atque disponit, quo spectat saltuariorum constitutio, lignorum vel etiam ferarum, ut in usum subditorum cedant, concessio, sylvarum nexilibus plagis libera cinctio, pœnarumque ab iis, qui contra edictum venantur, exactio. In suo tamen territorio meritò sese continere, neque ejus limites transgredi debet Princeps, ne injurius in quosvis alios existat, & nimis protervæ & effrenis avaritiæ notam incurrat, quod utrumque tantò longiùs à Principe abesse debet, quantò majus ex illo exsurgit dedecus. Unus totius orbis non est Princeps, sed variis hoc universum, ipsâ sic moderante Dei providentiâ, regitur Principibus, unde alter in alterius imperium, citrà insignem injuriam & avaritiam, jus sibi sumere minimè potest. At in suo imperio liberè dominatur Princeps, hinc in suo territorio, uti alia omnia, ita & jus foresti & venationis liberè exercere à nobis dicitur. Legibus solutus est Princeps in Republicâ, cui præest, nullasque exaudit leges, quùm superiorem præter Deum agnoscat nullum, Princeps propriè sic dictus,

B

dictus,

dictus, à quo iussa & leges capiat. Quamvis enim conditiones seu leges, quas nominant, fundamentales aliquos ponant terminos huic vel illi Regi, & imperans ad quaedam civilia sese obliget, ad imperii rationem pertinentia, quæquæve fundamentum sunt futuri regiminis & exemplar Reipublicæ gubernandæ, leges tamen impropriè dicuntur. Non sunt veræ leges, quæ semper auctoritatem habent à superiore. At populus stipulans & mentionem faciens superior non est Princeps, nec imperio civili gaudet. Conditiones sunt illæ leges, quæ pacti & promissi ingenium præ se ferunt. Non jurat Princeps imperio superioris adactus, sed suâ sponte approbat consignatas conditiones. Consentunt Principis & subditorum voluntates, non imperant invicem & parent in hoc negotio. Manet Princeps, manet integra potestas, quæ tunc superiorem non habet, quamvis exercitium in quibusdam definitum sit. Non involvit contradictionem summa & limitata potestas. Hinc optimè Magnus GROTIUS l. i. de Jure B. & P. c. 3. n. 16. p. 61. *Tertia observatio sit, non desinere summum esse imperium, etiamsi is, qui imperaturus est, promittat aliqua subditis, aut Deo etiam talia, quæ ad imperii rationem pertineant. Nec jam de observatione juris naturalis & divini, adde gentium loquor, ad quam reges omnes tenentur etiamsi nihil promiserint, sed de regulis quibusdam, ad quas sine promisso nunquam tenerentur. Verum esse, quod dico, ex similitudine Patris familias apparet, qui si quid familiæ se facturum esse promiserit, quod ad familiæ gubernationem pertineat non eò desinet in suâ familiâ jus summum, quantum fert familia, habere. Minimè hinc dandum est, quod Theod. Graswinck. de Jur. Maj. C. XI. asserere non dubitat, regnantem in tali regno non regnare ut Regem per se suo jure, & quoniam Rex sit, sed quia à regno in regem est subiectus, legi à regno data addictius simul & remissius imperium debere. Non considerari ut Dominum absolutè summum, sed ut Regni administratorem & verbotenus Dominum ob locum honorationem & præminentioris dignitatis prerogativam.*

§. VI. Delineavimus jam, quantum potuimus, *jus forestæ & venationis*, quod Principi, seu Personæ, in territorio suo Majestatem habenti, attribuimus. Hinc illa propullulat quæstio, quam
in

331.

in §. IV. insinuavimus; *Quo jure, quoque titulo, Principis illa dispositio circa foresta & venationem, quæ cum certâ prohibitione conjuncta est, suffulciatur?* Notissimum enim est, quòd Principes plurimi ita versati sint circa foresta & venationem, ut subditos ab iis coërcuerint, & nonnisi ex singulari gratiâ quibusdam exercitium, certis tamen legibus coarctatum, concesserint. Variè hâc de re disceptatum est inter Eruditos. Nonnulli eò abrepti cogitationum sunt, ut existimaverint, summâ cum injuriâ conjunctum esse, quando Principes non tantùm bona communia, quæ esse censent, occupant, sed etiam occupatorum usum fructum sibi solis asservant, quo pertinet etiam hoc, quando sylvis & venationibus subditis interdicunt. Ab initio enim ante Regis creationem, inveniunt illi rigidiores rerum æstimatores, Dominium singulis cessit in res creatas, in animantia, in immobilem sedem, & universis in universam regionem, seu id jure naturali aut gentium, seu etiam Divinâ liberalitate contigerit. Hinc & Dominium in sylvas & in specie in feras, singulis non præcisè certæ determinatæque alicui personæ, competiisse asserunt, eaque de causâ provocant ad *Gen. c. 1. & IX.* quod & *Aristotelem* agnovisse dicunt, dum *1. Polit. c. 8.* ait: *Plantæ sunt animalium gratiâ, cætera animalia hominum causâ; mansucta quidem propter utilitatem & escam, fera verò propter cibum & alia adjumenta, ut & vestis & cætera instrumenta ex iis fiant,* cum quo consentit *Cicero 3. de finibus: Præclarè ait Chrysippus, cætera nata esse hominum causa & decorum: Eos autem communitatis & societatis suæ, ut bestiis uti ad utilitatem suam possint sine injuriâ.* Nec aliud svadere videtur illud, quod usu receptum diu quam plurimæ gentes coluerunt, Indi & Tartari, Persæ, Romani Germanique, qui populi omnes feras publicè confectabantur. *Conf. Arnif. tom. 2. l. 3. C. IV. p. m. 365.* Ex quibus patescere putant magni nominis Viri, Principes non posse subditis prohibere venationem, (de sylvis idem esto judicium,) nisi per violentiam & injustè. Et quamvis alii loqui videantur de Principibus tantummodò illis, qui superiorem recognoscunt, eas tamen suæ assertionis asserunt rationes, quæ etiam summum Principem ligent, Conspicuè verò Majestatem quoque suæ negationi includunt illi, quos recenset *Arnif. l. cit. p. 366. & 367.* quos-

que eo probandi argumento suam corroborare sententiam dicit, quod non tantum prohibeant alios in alienis fundis venari, sed quod ipsi impunè pedes ferant in agros subditorum, ex quo magna fiat subditis injuria, dum prohibentur re suâ uti pro libitu, gravi adjectâ pœnâ, si feram in suo agro capiant, licet segetes suas ab iis vastari sepesque dirui videant, prout à minorum quoque gentium bestiolis magna sæpè colonis incommoda inferri videmus. Nam vel cuniculos in Gymnesiis seu Balearibus insulis tantum damni dedisse incolis, refert *Adrian. Jun. & Strabo l. 3.* ut missis legatis Romam, à Senatu auxilium, contra eorum proventum & injuriam, messes populantium, postulârint. Unde animal istud λιμοπωσιόν velut annonæ penuriam faciens famemque invehens apud Erotianum dicitur. Repetitur hinc sæpiùs illud à vulgo, quod *Cornel. Agrippa de Vanit. scient. c. 77.* hanc in rem conquestus est: *A novalibus suis arcentur agricolæ, subtrahuntur prædia rusticis, agri colonis præcluduntur, sylvæ & præta pastoribus, ut augeantur feris pascua, in sagimen & delicias nobilium, quibus solis has edere licet.*

§. VII. Alii, qui mitiores sunt, ipsisque principibus favendum hâc in causâ esse persuasum sibi habent, varios conquirunt titulos, quorum bonitate venationem, quam Princeps sibi soli assertam vult, legitimam reddere conantur. Dicunt inde, Principem continuos labores pro Republicâ sustinere, hinc subditos æquo animo cognoscere debere, quod prohibiti sint venari, nec invidere leviculam voluptatem illis, qui pro Salute Republicæ noctes & dies molestias subire tenentur. Quod ut eò faciliùs persuadeant subditis, ad animum revocandum esse contendunt istud, quo *Seneca in Consol. ad Polyb. c. 26.* laborem Principis describit eleganter non minùs ac nervosè, *Omniùm domos, inqviens, Cesaris vigilia defendit, omniùm otium illius labor, omniùm delicias illius industria, omniùm vacationem illius occupatio.* Ex quo se *Cesar orbi terrarum dedicavit, sibi eripuit, & syderum modo, quæ irrequieta semper cursus suos explicant, nunquam illi licet nec subsistere nec quicquam suum facere:* Et quod *Agrippa ad Augustum imperii continuationem dissvasurus eloquitur: Necessè est omninò, ut, qui tantum imperium gerat, multis curis ac timoribus conficiatur,*
volupta-

voluptates minimè percipiat, molestissima quæque identidem & videat & audiat & sentiat, quæ, nisi fallor, causa Græcos barbarosq; movit, ut oblata quoque regna respuerent. v. Arnif. l. alleg. p. 375. Pro hâc igitur servitute, pro his laboribus, quos quotidiè Princeps devorare cogitur, summam æquitatem postulare putant pluri-
mi, ipsi remunerationis loco, brevem aliquam voluptatem concedi, ut sicut periculis & molestiis solus expositus est, ita recreandi animum facultatem præ cæteris habeat. Soto l. 4. de just. & jur. qv. 6. art. 4.

§. VIII. In hâc ratione non subsistunt, sed ulteriùs progrediuntur in asserendo Venationis prohibitæ titulo, & ad consuetudinem atqve præscriptionem longissimi temporis, possessorum jus firmaturam, confugiunt, quâ utrâque Principem jus venandi sibi soli tribuere posse contendunt, quùm & generalis consuetudo id iis permittat, & ipsi contra subditos, à tempore, cujus memoriæ principium non exstat, prohibendo actusqve venaticos exercendo, possessionem acqvisierint. Dicunt enim, cautelam esse pro Dominis terrarum, ut interdican subditis venationes, qui si prohibitioni non contradixerint, præscriptoqve Domino paruerint, Dominos suos in quasi possessione prohibendi constitui, ac ipsos deniqve Jus venandi per tempus postea immemoriale perdere, quam immemoriam præscriptionem propter vetustatem vim legis & constituti obtinere, & veritatis vice fungi, quumqve ejus usus, qui tam diu duravit, principium ignoretur, præsumptione boni tituli gaudere asserunt. Conf. CL. Arnif. l. cit. p. 379. & 380. ubi tamen & aliqui hanc præscriptionem immemoriam ad venationem, quam Princeps in privatorum seu subditorum fundis exercet, restringunt, postquam venationem, in locis publicis, jure superioritatis ad Principes pertinere dixerunt.

§. IX. Ulteriùs ex parte subditorum accessunt incommoda, quæ ut averruncentur, necessariam omninò esse prohibitionem & solitariam Principis, circa venationem, dispositionem existimant. Secus enim nascituræ lites inter venatores, & rem propè abfuturam esse à seditione ajunt, si promiscua venatio & armorum usus esset vulgo. Verendum esse, ne agricultura à sub-

B 3

ditis



ditis negligatur, Pietas animo excutiatur, innumera latrocinia perpetrentur, sylvæ devastentur, aut species quoque ferarum perpetuo venatu extingvantur. Conf. Schönb. Polit. l. V. c. XXIX. p. m. 443. Adjiciunt rationem à difficili: Tot, inquit, CL. Arnif. l. sæpius laudato p. 375. ad venationem requiruntur instrumenta, retia, laquei, fossæ, canes, accipitres, tot servi & mercenarii, ut iis aliquis ex plebe, imprimis, quando ipse à rei familiaris curâ abesse cogitur, sufficere non possit. Nec aberravero, si Episcopis venatione interdictum etiam ex hac causa dixerò, ne bona pauperum in venatores & instrumenta, quorum ad venandum magnus apparatus necessarius est, profundant. Quid enim Poeta, pergit Arnifæus, per Aetæonis fabulam nos docere voluerunt, nisi ut intelligamus, quando à propriis canibus laceratus fuit, quod in eos omnibus suis opibus consumtis, tandem suo studio perierit, ut explicat Fulgentius, quemadmodum Henric. IV. Regem Galliarum jocatum accepi in mercatorem, quem ad incitas redegerant ex Italia adducti bombyces: Eum videlicet vivum rodi à vermibus. Plures hoc tempore eandem fortunam passuros, quæ est hominum in id studium proclivitas, verisimile est, si tam liberum esset cuiquam venari; quàm sunt ejus omnes homines ex æquo cupidi.

§. X. Hâc ratione, modo adductâ, varia sentiunt quamplurimi de jure præcipuè venationis, quod Princeps sibi reservatum vult. Nos quidem sententias Magnorum Virorum semper venerati sumus, easque & in posterum venerabimur sanctè, quantum Veritas, quæ nobis sanctior est, permiserit, nihilominus tamen nullius dictatoriam agnoscimus sententiam, & non nisi in eâ demum acquiescimus, quæ robustioribus argumentis suffulta & validissimis rationibus animata esse videtur. Liceat igitur nobis jam exponere, quidnam de opinionibus hætenus recensitis, statuendum sit. Quod primam concernit sententiam, quæ definitur, non citra injuriam Principes prohibere subditos à venatione, illam ita comparatam esse animadvertimus, ut eidem subscribere nobis religio sit, quùm ratio, cui innititur, admodum lubrica sit. Nam illa opinio primò ὑπερλόγῳ, fovet, ac si dominia jure naturali aut jure gentium ortum nancisci potuissent, quod falsum esse planissimè existimamus, si jura illa in proprio & for-

& formali significatione accipiantur. Dominia quidem jure naturali constituta esse, & Dominia singulos acquirere jure naturali sæpius legunt illi, qui opus Romanarum legum evolvunt, at loca illa, quoties occurrunt, cautissimè accipienda & interpretanda esse de permissione juris naturalis extra constitutam Rempublicam, non de verâ concessione Domini & perpetuâ sanctione unâ cum aliis observavit *suprà laudatus quidam Vir*. Sic capere feram, volucrem, piscem, ubi lege civili nihil contrarium decretum est, juris naturalis dicitur esse, non quasi jus naturale tradat facultatem occupandi bestiam, sed quòd non prohibeat. Ipse *Arnif. tom. 2. l. 3. c. IV. p. 370.* ita jus naturale de nudâ permissione explicat, dum ait: *Nec propterea juri naturali derogatur, quoniam non sequitur: Hoc est jure natura permissum. E. prohiberi non potest.* Nec magis verum est, jure gentium suborta esse dominia. Jus enim Gentium ad omnes omninò, non solùm moratiores, spectat gentes, quarum operationes in actibus publicis, qui ipsis gentibus, quâ gens sunt, invicem intercedunt, dirigit ad communem justitiam & tranquillitatem. Quæ omnia ad Dominia non possunt ritè applicari. Hinc ad productionem Domini seu facultatis & potestatis in res proprias, neque jus gentium asurgere potest. Si quid tamen in materiâ Dominiorum ad Jus Gentium refertur, tunc accipiendum est jus illud pro more & consuetudine sed nec perpetuâ nec obligante. Relinquitur exinde Dei supremi liberalitatem & benignitatem hîc loci ultimò respiciendam esse, cui acceptus ferendus est tot beneficiorum cumulus, quibus in primâ creatione humanum genus in divinitatis consortium admittebatur. Quùm enim supremum Numen in universa creata absolutissimi Domini obtineret potestatem, in societatem ejus, quod Divina testatur pagina, traxit hominem, ut instar terrestris Numinis de concessis bonis ad usum suum disponeret, eaqve pro lubitu moderaretur. Ex quo tamen non sequitur, permissum singulis hominibus rerum omnium Dominium esse, quùm hâc ratione omnes omnia, & universi ac singuli nihil habuissent, quod ceu proprium sibi vendicarent, quin potius ita, multiplicatis hominibus, provisum esse verisimile est, ut singulis concessa fuerit facultas sufficiens sibi spatium occupandi &

di & asserendi in hoc proprium Dominium. Communis enim erat terra ab initio & res in eam introductæ, non affirmativè vel positivè, ut aliàs loqvuntur, v. *Arnif. l. laud.* quasi fuerint in bonis vel proprietate omnium, sed negativè, quatenus ad nullius possessionem pertinebant, occupari tamen partialiter & subijci ab hoc & illo hominum poterant. Quo facto occupationis beneficio perfectum Dominium quærebatur Possessori, ita ut ille ipse de re quæsitâ disponderet, nec alteri jus esset de loco jam capto aliquid constituendi. Postquàm aliquis posuerat fixam sedem in loco certo, ibiqve Dominium constituerat, vel consecutus erat, excludebat omnes reliquos. Sic quando quis agrum, sylvam seu forestum certum occupaverat, dominabatur eidem, & in eodem, quoad omnia, adeoqve & quoad venationem ordinabat, ceu Dominus proprius.

§. XI. Dicat quis, si vel maximè hæc omnia ponantur & concedantur, non ideò tamen evincitur, Principi præ reliquis Dominium competere, ut possit de territorio certo rebusqve in eo positis pro lubitu ordinare. Verùm ulterius audiendi sumus. Compararat jam sibi possessor ad eum, quem in §. præced. explicuimus, modum, verum dominium, ut arceret alium hominem à rebus acquisitis, interim non abdicârat se Deo dominio suo, traditione aut communicatione hominibus factâ. Quemadmodum imperium homini in hominem concessum à solâ divinâ potestate oritur, simul tamen penes communicantem, eminentissimo quodam modo, remanet; ita in dominia humana manet Dominium Dei, ut inferius illud humanum pro sanctissimo suo arbitrio inhibeat, & de eo dispenset liberrimè, quacunque demum ratione, quocunque modo. Hoc supremum Dominium Deus Ter-Optimus, quando multitudinem hominum unius potestate regendam decrevit, clementissimè suo modo communicat Principi ceu vicario suo, ipsiqve illud attribuit jus, quod sicut in universum, ita in partialem orbem ipse habet, h. e. attribuit Deus Principi imperium in personas non solùm sed & Dominium in regionem atqve res ibi positas, eâ tamen lege, ut nihilominus in Principem ejusqve communicatum imperium & Dominium longè excellentius multoqve antevortens sibi reservet

fervet Deus. Audire si commodum & æquum est hîc loci divi-
nissimos, eoque omni majores exceptione Scriptores, prodeat
Jeremias Propheta, qui dilucidè testatur, Divino Numini non
solum & imperium in homines & dominium in animantia cæ-
terasque res competere, sed utrumque etiam pro lubitu distri-
buere Regibus. Ita loquentem introducit *Jehovam Propheta*
*C. XXVII. 5. 6. Ego feci terram, homines & jumenta, quæ sunt in su-
perficie terra, fortitudine meâ magnâ & in brachio meo extenso, &
dedi eam ei, qui placuit in oculis meis. Et nunc ita ego dedi omnes
ras istas in manum Nabuchodonosor Regis Babylonii servi mei, insu-
per & bestias agri dedi ei, ut serviant illi. Quid clarius pro Principi-
bus dici potuisset, quodque magis eorum faveat Imperio &
Dominio.*

§. XII. Hæc si rectè perpendantur, omnem exspirare que-
relam oportet de sylvis & venationibus injustè surreptis à Prin-
cipe. Si enim Principi unâ cum Imperio in Personas Dominium
quoque in Regionem competit, cur non liceat ei circa sylvas &
venationes ordinare, prout ipsi libuerit? Cur non Princeps ter-
ritorium, cui dominatur, dividere queat in duas partes, quarum
altera subditis, eorumque commodis cedat, reservatâ Principi
supremâ Potestate, altera in possessione Principis propinquiori
remaneat, & bonorum Publicorum nomine veniat, quæ Bona
Publica si quis partiri velit respectu terræ & aquæ, & terram i-
terum distribuere in superficiem & partes interiores, ita ut in su-
perficie publicum sit omne, quod privatis non est traditum, e.g.
agri segeti aut gramini destinati in usum Principis, item horti,
& quilibet locus fructibus floribusque ferendis consitus & in ge-
nere omne spatium, quod vel utilitati vel honestæ voluptati Re-
gis inserviat, quò pertinent sylvæ & omne sylvarum como-
dum, undecunque proveniens, unde Jus Foresti & Venationum,
& sic porro; ille à vero non aberraverit, quum, ex nostrâ quidem
sententiâ, res optimè ita explicetur.

§. XIII. Ex his statim patescere putamus, quodnam fun-
damentum sit ultimum Venationum & Rerum Forestalium sub-
ditis interdictarum, nimirum Majestatis Dominium in territo-
rium, quod Princeps possidet, specialiter in sylvam & nascent a
in sylvis. Hoc dominium Principis, si æquo reputarent animo
C homi-

homines, non adeò proclives forent ad querelas, quas de iniquâ Venationum & Rerum, quas diximus, Forestalium, prohibitivâ dispositione nimis anxie interdum suscipiunt. Nulla obtinet civilis iniquitas, ubi per & propter Dominium dere suâ ordinat Dominus. Si subditus Dominus rerum suarum, alium hominem à rebus sibi acquisitis citrà injustitiam prohibet, quùm in hoc momento omnis domini consistat virtus, ut sit proprium, h.e. ita personæ adhæreat, ut ipsa præferatur omnibus in usurei acquisitione & avertat alterius occupationem, nisi lex obstet; multò magis & Princeps, qui Dominus sui territorii est in eo liberè ordinare potest, ita quidem, ut pro lubitu & dispositione Principis certa territorii pars, certæque in eodem res intactæ sibi remaneant, & subditi aliique ab iisdem arceantur. Nec injustitiæ postulandus est Princeps, si certâ pœnâ etiam graviori libidinem subditorum, vel etiam eorum, qui per territorium iter faciunt, à sylvarum & venationum usu promiscuo coërcet. Nam, ut modò taceamus, Principem potestate ferendi leges liberâ gaudere, eamque quàm maximè ad Majestatem pertinere, quibus legibus si non obtemperat is, qui illis tenetur, meritò plectitur eâ, quâ leges munitæ sunt, pœnâ; hoc tantùm dicimus, quòd ille, qui sylvas & venationes, à Principe prohibitas, invadit, furtum omninò committat, & justè eo afficiatur supplicio, quod in fures sancivit Princeps. Aufert enim talis homo illud, quod amplius commune non est, sed Principi proprium, adeoque alienis rebus injicit manus, quòd quum de formali furti sit, omnibus quidem consentientibus, non potest à furto, neque à furti pœna, si strictè cum eo agatur, absolvi reus.

§, XIV. Unde autem Dominium in territorium proximè nascatur, facilè quis invenire poterit. Ex imperio in Personam illud originem trahere, manifestò deprehendimus. Per quàm facilis est collectio: Cuicunque imperium in præstantius convenit, illi etiam dominium in minùs præstans, quod accessorium est, competit. Atqui Principi convenit imperium in præstantius, personas sc. subditas. E. etiam in minùs præstans sc. in territorium. Non incongruè declaratum hoc est à Non: nemine sequenti ratione;

330.

tione : Persona imperio subdita, nunquam extra locum aliquem ponitur, sed certum aliquod spatium occupat, ipsa divina indulgentia facultatem ad id accommodante. Quotiescunque autem Majestas conceditur alicui, multitudo insignis omnium praesto est, quorum singuli commodam si fixerunt sedem, universi autem sufficientem Regionis tractum civitati suae destinarunt. Ubi jam supervenit Majestas & sub imperium rejicit multitudinis hujus capita, non potest non locus à singulis possessus, subjici potestati imperantis. Quod personam redactam sub imperium alterius, omnia bona mobilia & immobilia simul subdantur regnantis potestati. Qui enim habet imperium in personam simul habet potestatem in omnia bona tanquam accessoria. Ita constitutum imperium extemplo comitatur Dominium in territorium seu regionem, quam sibi multitudo, accipiens Regem, sumserat.

§. XV. Postquam priorem redarguimus sententiam, quae injustitiae insimulabat Principes, quando subditos à communi venationum usu haecenus prohibuerunt, simulque ostendimus, quod bono titulo bonoque jure illam instituerint prohibitionem, dicendum jam ordine est, quousque ea admittendae sint opiniones, quae variis titulis supra enumeratis Principum excusare institutum annuntur. Non inficiamur, quod illa adducta momenta honestè admodum dicantur, & ad persuasionem vulgi, ne praepostero & praecipitato nimis suo judicio credat, quodammodo faciant, an verò satis excusent Principem, idque fundamentum contineant, quo prohibitio illa venandi solidè nitatur, non immeritò quis dubitet? Voluptatem Regibus nemo cordatorum invidet, quia labores & curas, pro populo indies susceptas, solari queant; Sed cavendum probè, ne injusta voluptas sit. Si laboris praemium illa est, quam sibi soli Princeps vendicat, venatio, & ex illo praemio quaedam exsurgit justitia, sequitur, Principem, quem Reipublicae cura non adeò tangit, iniquè subditum excludere à venatu, quum cesset in tali Principe laboris praemium. Ubi ratio rei, quam justam esse profiteamur, cessat, de ipsa rei justitia actum erit. Nec tamen quis, salvà veritate, dixerit, ignavum Principem injustè subditos à venatu prohibere. Quod de Praescriptione, quam vocant, in medium proferunt, quamvis majorem forsitan mereatur applausum, nondum tamen animo verita-

ritatis cupido satisfacere videtur. Necessum esse arbitramur, ut præscriptio fundetur in aliqua potestate & versetur circa aliquod in se non injustum. Si venatio subditis erepta in se injusta est, nullo temporis spatio justa evadet, nullo temporis tractu illa iniquitas in æquitatem abibit. Tempus externè circumstat rem, nec ejus essentiam immutat. Lites, quas metuunt inter subditos exorturas, si promiscua foret venatio, avertere potest Princeps legibus, quæ certum modum Venatoribus definirent. Nec armorum usus hûc facit, quùm venatio licita fuerit, ubi armorum usus illicitus esset, seditio si oritur, in corruptâ Republicâ fit, seditio & aliàs oriri potest, quùm, prohibitâ licet venatione, usus armorum concessus sit. Diceremus potiùs, eandem metuendam esse ob ereptam vulgo venationem, nisi Dominio suo, cujus in conscientiâ sæpiùs convincuntur subditi, tutus & securus esset Princeps. Si metuis, agriculturam neglecturos esse subditos, si omnibus jus venandi competeret, incertè metuis, & ille incertus metus non sufficit ad auferendum certum jus. Quid si subditi non negligerent agriculturam, quid si Pietas animo non excuteretur latrocinia non perpetrarentur, sylvæ non devastarentur? Incassum quoque times, ne species ferarum destruantur. Vix enim tot à singulis caperentur, quot à Principe unâ venatione, quot ab illis, quibus concessit Princeps jus venationis exercendum, capiuntur, neque, sic ordinante & prospiciente providâ Naturâ, ulla species perire potest. Ad illam rationem à difficili & sumtibus petitam nonne regerere potest subditus? Concedatur mihi saltem venatus, qui etiam ad me pertinet. Ego non requiro tot instrumenta, retia, laqueos, canes, accipitres, servos & mercenarios. Requirit hæc Princeps ad suam venationem, tanta & talia ego non posco. Infirma igitur hæc auxilia Principem non satis tuentur. Firmius nobis maneat istud, quod in §. 13. adduximus fundamentum.

§. XVI. Difficilior illa est quæstio, *an Princeps in fundis subditorum privatis venari possit?* Duas enim portiones Bonorum in Republicâ Principis invenies, alteram, quæ Majestati competit, alteram, quæ in subditos transcripta est singulis possessoribus assignata, ita ut vi Domini, quod in suas res habent, possint pro
lubi-

391.

lubitu disponere. Nunc quæritur, numne Princeps, salvo jure, in locis, quæ subditorum subsunt Dominio, venatum exercere queat? Primo intuitu videtur negativè ad hanc quæstionem respondendum esse, si Dominium proprium subditis in res suas tribuendum sit, si privatorum possessiones quietæ permanere, proprietatesque non tolli debeant. Videtur quoque negativæ sententiæ illud favere Juris naturalis scitum, quod suum cuique tribuere jubet, nec minùs illud pro negativâ facit, quòd affirmativa opinio de pessimo tyrannidis instrumento Principi prospiciat, ut sub prætextu Juris privatorum invadat facultates. Verùm enimverò, examinatis singulis accuratiùs, affirmativa nobis arripet sententia, ita ut statuendum esse censeamus, Principem & in locis privatorum venationis jus exercere posse. Licet enim Dominium, quòd in res suas habent subditi, propriè sic dictum Dominium sit, non absoluta tamen & summa potestas est, quin potiùs superiorem agnoscit, à quâ legem & normam accipit, adeoque restringitur ad voluntatem Legislatoris, qui est ipse Princeps. Disponant igitur subditi singuli, privati possessores, de rebus suis, quocunque demum modo velint, nihilominùs tamen illa dispositio dependet à Majestate. *Ut possit subditus, (verbis doctissimi hæc Viri cujusdam uti liceat nobis) talem in modum de rebus suis disponere, id omne proficiscitur à dispositione Imperantis. Hic introduxit modos private dispositionis, ut sub hac non aliâ conditione liceat emere, vendere, donare, & sua ad alium transferre: & concessit adeò facultatem singulis de rebus suis legitimè disponendi, intrâ limites nimirum præscriptos, quos ubi observat subditus, habet jus disponendi, atque adeò dominium, sin egrediatur definitos terminos, nihil agit, quòd destituatur jure disponendi propter cessantem aut contrariam Majestatis dispositionem.* Quà de causâ, si Princeps hunc vel alium fundum sub Dominio subditi esse voluit, cum conditione tamen sibi reservatæ venationis vel etiam foresti, manet Dominium subditis proprium, licet restrictum & limitatum. Neque quies & proprietas eo ipso tollitur. Non enim infert rapacem invasionem sed superiorem & vulgari sublimiorem potestatem, quæ Dominia privata moderetur. Eo ipso quoque non detrahitur legi, quæ suum cuique tribuendum esse svadet. Ha-

C 3

bent

1342
bent singuli subditi sua bona, contradistincta aliorum facultati-
bus, quæ etiam à Principe muniuntur & defenduntur, ut quietâ
possessione frui subditis datum sit. Possidet quisque subditorum
suum proprium, licet patiatursus superius Majestatis: Prætereâ
nostro asserto neutiqvàm Principem exstimulamur, ut pro libi-
tu bona subditorum rapiat, eaqve spoliet tyrannicè. Absit, ut
hoc opinione nostrâ introducatur. Non svademus Principi, ut
venationibus agros subditorum depopuletur, lætas segetes con-
culcet, & frumenta in iisdem à feris discerpi sinat: Sed hoc tan-
tùm dicimus, quòd Princeps potestatem habeat venandi in fun-
dis subditorum. Officium, civilis ratio & decor à spoliis & ra-
pinis bonorum subditorum Majestatem prohibebit. Principes
originis suæ memores esse & potiùs populi, quàm suum commo-
dum procurare oportet, eò lucro, ut & propriæ divitiæ inde
constent. Dei vices se gerere arbitrentur, cujus licet omnia sint,
omnium tamen usum largâ dispensat manu, modo convenienti,
& clementissimè prospicit, ne quid detrimenti capiant res huma-
næ. Idem faciant Vicarii, qui omnium fortunas suo comple-
ctuntur jure, nemini citra causas adimant, & sciant ad hoc con-
cessam esse potestatem, ut tanqvàm beneficium Numen suorum
utilitatem promoveant & civium beatitudinem ad summum,
quantum in ipsis est, fastigium evehant. V. D. Henrichus lib. de Of-
fic. Boni Princip. & pii Subd. c. VI. p. 137.

§. XVII. Si verò fundamentalem causam ex nobis quæ-
ras, quâ innitatur illa potestas Principis in locis subditorum pro-
priis venandi, responsum habeas, si à summâ causâ, à qua Prin-
cipis Majestatem descendere à limine statim edocuimus, rece-
damus, nullam proximiorē nobis videri, quàm in personam Im-
perium. Illud quippe perpetuæ veritatis esse putamus, cujus jam
ante mentionem faciebamus: *Quicumque in personam aliquam
plenum habet imperium, ille simul habet Dominium in omnes fortu-
nas personæ subjæctæ.* Nam qui imperat principaliori, is etiam
dominabitur ei, quod isti ceu minùs præstans, accedit. Placent,
quæ *Celeb. & supra omnem laudem positus Politicus Conringius in a-
nimadv. ad Lampad* habet: *Proinde, inquit, atque hætenus sum-
ma potestas Dominium quoque habet in vitam omnium Civium, at-
que*

que adeo multo magis in bona subditorum. Non obstat verò hoc Domini genus Dominio singulorum in bona sua, utpotè, quum nemo qui civilis societatis est particeps, plenum obtineat itidem bonorum suorum Dominium, sed illud tantum, quod toti societati ejusque commodis non est obstrictum. Ac proinde constituto dominio singulorum, simul etiam summe potestatis, in bona privatorum non fiunt unius ejusdemq; rei in solidum Dominia, sed tantum ex parte, quarum altera alteri est subordinata.

§. XVIII. Afferuimus in præcedentibus Jus Foresti & Venationis Principi tanquam jus Majestaticum. Ultimo loco illa sese offert quæstio: *An hoc jus à Principe salvâ manente penes eundem Majestate, ad subditum transferri queat?* Circa quod quæsitum nos censemus, quòd alia observari debeat ratio ipsius Juris, alia administrationis ejusdem. Quum in indivisibili consistat Majestas, ita ut ubicunq; est Majestas, ibi tota Majestas sit oportet, & in Principe ea determinetur, non poteris decerpere aliquod jus proprium & essenziale, nisi corrumpere velis integrum. Interim administratio illius Juris seu exercitium, reservato jure ipso, alteri tradere potest vel Civitati vel Nobili, vel alii cuidam Vasallo, prout ipsi libuerit, quod toto die conspicere licet, neque altiori exinde indiget explicatione. Hæc sunt, quæ de Jure Foresti & Venationis proferre voluimus, eam potissimum secuti opinionem, quæ nobis præ reliquis visa fuit congrua veritati, salvâ interim quorumvis autoritate.

Quæ Tua sit Virtus, Patris emula, clara propago,
 Quæ sit sedulitas, ingeniiq; vigor?
 Jam coràm sistis, cunctis plaudentibus, ausûs,
 Non malè, susceptos, dum cecidisse vident.
 Scilicet in Natis surgit Patris inclyta virtus
 Sæpius, & mentes exstimulare solet.

Hisce ausûs egregios
POLITISSIMI DN. RESPOND.
Fautoris & Amici sui pl. æstimati,
L. M^g.
prosequebatur
PRÆSES.



Fortis *Eqves* cupiens cursu superare sodales
 Incitat & laudem dum cupit, urget eqvum.
 Haud secus & studiis calcar, REUTFRE, subinde
 Addis, non vanæ gloriæ amore, tuis.
 Maçte tuis ausis! nam sic tangetur honoris
 Meta secuturi, non sine laude, Tibi.

Id quod vovet

JOHANNES Beinradt.

Alter opes, apices alter venatur honorum,
 At capit haud semper, quod sibi quisque cupit.
 Inuitis multi canibus venantur, & inde
 Rarò vel nunquam præda cupita venit.
 Venari melius didicisti, *Svavis Amice,*
 Cui cor formatum de meliore luto;
 Namque Tibi lubuit lustrare scientiæ & artis
 Sylvas, quæis fructus, multus inestq; lepos.
 Indagas summâ cum sedulitate latentem
 Doctrinam, variis implicitamq; modis.
 Perge ita venari, & venando vince laborem
 Sic non defuerint præmia certa Tibi.

In honorem Pereximii Dn. Respon-
 dentis, Conterranei ac Con-
 salini sui suavissimi
 pauca hæc adji-
 cere voluit

HENRICUS Beinrad.

Ingenium, REUTERE, Tuum quòd calleat artes
 Demonstras, dum jam publica verba facis.
 Gratulor ex animo, felici cedat ut illud
 Successu captum, mente favente precor,

*In honorem cognati conjunctissi-
 mi deproperabat*

GODOFREDUS Strauß.

VDA


110

B. M. II, 320
h. 62, 19.

JU

M. JOH

GOD



7960)

II R
2424

ICUS

LVÆ

ONIS,

ademiã

O

STI Herings/


DJUNCTI

do

ICUS Reuter /

. confu.

XV.



HENCKELIA.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

33.



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black